

DE
VI REI IVDICATAE.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

QVAM

AVSPICIIS REGIIS
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO

SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

P V B L I C O E X A M I N I

SVBMITTIT

IOANNES FRIDERICVS EICHRODT

BADENSIS.

D. MAI. MDCCCLXXVII.

GOETTINGAE,
Litteris JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

REICHSMARKE

DIESE FESTALDEN WERDEN DURCH

RAYO

VERGEGENSTELLT

IN PFERDS HANDBUCH DER KUNDE

VERGEGENSTELLT

IN PFERDS HANDBUCH DER KUNDE

CONSERVATION

VERGEGENSTELLT

CONSERVATION

JOANNES FREDERICUS EICHRODT

BERLIN

1774

ANNO 1774
VERGEGENSTELLT

SERENISSIMO ET CLEMENTISSIMO
MARCHIONI AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO

MARCHIONI BADENSI ET HOCHBERGENSI,
LANDGRAVIO SAVSENBERGENSI, COMITI SPANHEIMENSI
ET EBERSTEINENSI, DYNASTAE ROETELENSI, BADEVIL-
LANO, LAHRENSI, MAHLBERGENSI, ET
KEHLENSI, REL. REL.

PATRI PATRIAEC EXOPTATISSIMO,
LITTERARVM PROTECTORI SVMMO,
MARCHIONI SVO LONGE CLEMENTISSIMO.

SERENISSIMO ET CLEMENTISSIMO

MARCIHIONI AC DOMINO

DOMINO

CVRGIO FRIDERICIO

MARCIHIONI SARDINI ET HONORIO
MARCIHIONI SARDINI COMITI SPANISHI
MARCIHIONI SARDINI DUCATIS MONTFERRATI
MARCIHIONI SARDINI ET
MARCIHIONI SARDINI ET

PATRI TATRAE EXPATSIOM

FITZJARUM PROTECTORI SUMMO

MARCIHIONI SAD LONGE CLEMENTISSIMO

SERENISSIME S. R. I. MARCHIO,
PRINCEPS CLEMENTISSIME.

Hisce studiorum academicorum primitus, MARCHIO SERENISSIME, TVVM NOMEN, nisi Clementia TVA, omnibus Badensibus cognita fretus, non anteposuissim, quae, omne quod splendoris iis ineft, SERENISSIMO TWO, quod piae se ferunt, NOMINI, debent. Tenue hocce subiectiōnis pietatisque erga TE argumentum, profundissimae erga TE devotionis tessera, ut Clementissimo accipiatur vultu, omnium quae opto principem obtinet locum. Magna est temeritas, hunc juvenilem laboreni TIBI CLEMENTISSIME MARCHIO dare, dicare, dedicare, magni fuere animi mei motus, antequam conarer. Subiectio, amor, reverentia, affectus tenerrimus, qui in dies erga TE crescunt, in quibus nec a quodam me superari contendo, congenita TIBI erga omnes Clementia, obvia subditis TVIS, Clientibusque gratia, patris mei memoria, qui studia sua omnia DOMVI BADENSI impedit, ejus filium excitaverunt, omnemque prope modum metum eliminaverunt, ut hasce leves pagellas TIBI PRINCEPS OPTIME, sacras faciam, quae devotissimi mei animi infinita, quibus patrem meum cumulaſti, gratiae TVAE beneficia, monumentum sunt. Pro TVA MARCHIO SERENISSIME incolumitate, pro DOMVS BA-

SERENISSIME S. R. I. MARCHIO

PRINCEPS CLEMENTISSIME

DENSIS felicitate ardentissimas ad Deum effundo preces.
Nunquam terrae Badenses magis floruere, nunquam civium
Badensium erga Principem amor adeo summus fuit, quam
sub felicissimis auspiciis CAROLI FRIDERICI, Ba-
densium provinciarum unici possessoris, virtutum Zaringica-
rum Badensiumque omnium ex ase heredis, qui toti Germa-
niae est honori, quem Europae Principes admirantur, quem
ut patriae patrem filiali obsequio subditi amant. TIBI SE-
RENISSIME MARCHIO Numen Optimum in ne-
storeos usque annos largiatur vires animi et corporis conſtan-
tes et vegetas, quo summa felicitate, optima fortuna Baden-
sium terrarum incolae longe diuque frui possent. Ita fovet

SERENISSIME S. R. I. MARCHIO,

PRINCEPS CLEMENTISSIME,

SERENITATIS TVAE MARCHICAE

Georgiae Augustae.

a. Maj. MDCCCLXXVII.

cultor subjectissimus atque
devotissimus

I. F. EICHRODT.

Bene quidem ac praecclare cum **BVRMANNO**^{a)} praecepunt, nihil eos qui Iuris civilis disciplinae sese dedissent, ea digni effecturos, nisi quidquid haberent ingenii, quidquid studii doctrinaeque possint adhibere, hoc omne in interpretandis legibus collocarent atque consumerent. Ea enim nostrae artis indoles est atque conditio, ut tota legibus continetur, nec quidquam in ea ferendum, quod non ex iis ipsis sit haustum atque deductum. Nemo sane erit qui hoc in dubium vocet, nisi de semper ipso male ominari veller, quin potius omnes interpretum partes sponte, licet quandoque inuita Themide, suscipiant. Hinc saepe numero accedere videmus ad castum Themidos sacrarium, qui haut initiati iis subsidiis sine quibus ne vnum quidem figere licet pedem, magna loquacitate interpretem, si Diis placet, gerunt, cuius forma et specie nihil derestabilius illa vnam ratione cogitari potest. Hi quidem eam viam deserentes, quam incesserunt **CVIACII**, **FABRI**, **MERILLII**, **WIELINGII**, **HEINECCII**, **AVERRANIT**, immo **LEYSERI**, quoque iidem ita inclarerunt, ut quisquis qui solidae veraeque operam nauare studeat Iurisprudentiae, eam adsequendam ante omnia putet, hi inquam ea omnia spernentes quae Aulus Gellius ^{b)} summis in **LABEONE** extollit laudibus, nouam, ut gloriam-

a) in praef. libro, quem conscripsit *de vestigialibus populi Romani*, premissa. Idem inculcat fummi quos Iurisprudentia habuit antistites, qui fumum deceptis atque imperitis vendere et carbones ut est proverbiū, pro thesauro pretiosissimo exhibere, sibi religioni duxerunt, inter quos vnum nominasse sufficiat **SCHVLTIN-GIVM** qui in elegantissima et leolu iucundissima oratione *de optimo genere interpretum Iuris civilis* (Vol. III. opp. inserta) rem adeo clare expofuit et perspicue ut qui eius praecepta negare audeat in sole medio caligare sicut ille soli faces accendere videatur, qui **SCHVLTING** oī aliquid addere velit.

b) Noī. Art. L. XIII. cap. 10. verbis non satis memorandis: *Labeo Antifius iuris quidem ciuilis disciplinam principali studio exercuit — ceterarumque bonarum arrium non expers fuit et in grammaticam sese atque dialecticam litterasque antiquiores altioresque penetrauerat, Latinarumque vocum origines variationesque percalluerat, eaque praecipua scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos ptebat. Conf. CAR. FERD. HOMMELIUS virtutes Labeonis*

35

36

riantur (nam nisi ipsi gloriarentur nemo certe esset qui nouam dixerit) viam monstraturi lepida ista ratione in interpretandis legibus exponendisque Iuris capitibus versantur: Non V L P I A N V M ex Iurisprudencia sui temporis neque fragmenta legum secundum vicissitudines temporum explicanda esse, sed secundum ea praecepta quae eiusmodi interpreti longe iam ante in mentem venerunt, adeo ut hic non sese legibus, sed potius leges sibi suisque sensu adsumptis principiis accommodet. Praeponunt principia, ex quibus deducunt consequentias, quas iura non adgnoscunt, quaeque ut saepe fieri solent legibus haut conformiter sed arbitrarie tantum ex laxius aut strictius praeposito fluunt. Anxie inquirendum censem cuiusnam indolis fuerit ius naturae huius illiusue ICti, et cuinam sectae veterum Philosophorum sit addictus. ^{c)} In hoc omne scientiae legitimae punctum ponunt, cetera autem quae historia quae linguae formae reipublicae magistratum et antiquitatum cognitione suppeditant, vicissitudinesque doctrinarum Iuris Romani exigunt intercrepundia reputant. Ne andabatarum more pugnasse videamus, neve ut plerumque accidit, sinistre haec a nobis dicta explicitent, verbis utramur CHRIST. HENR. ECKHARDI, qui eiusmodi homines ad vnguem descripturus, ^{d)} Ab interpretandis legibus ergo, inquit, merito abstinere debent tirones, qui idoneam iuris scientiam nondum adsecuti sunt, grauissimaque saepe ludibria excitari videmus, si qui ex subitanis illis iurisconsultis, tenui admodum iuris naturalis praceptorum scientia imbuti, nulla vero vel exili iuris civilis cognitione tinti nec idoneo in illa disciplina magistro usi (gloriantur enim se in iure magistrum babuisse nullum, quod et praedicantibus facile quis crederet, sicut mali aedificii domino glorianti, se architectum non babuisse) diis hominibus que inutis legum interpretandarum prouinciam inuadunt. Haec quidem ille. Quem ante oculos habuerit Vir iuste iratus non inquirere vacat. Non longe enim quaerendum est tale monstrum horrendum ingens cui lumen ademtum,

prae-

curate recensens diff. de principali causa diffensionum inter Labeonem et Capitonem horumque sectatores, (Lips. 1750.) §. 8.

c) Quam inutilis plerumque sit iste labor egregie ostendit verum ac aeternum Academiae nostrae decus et ornamentum IO. GVL, HOFFMANN in de dialetica veterum iurisconsultorum Diatribe, quea in fronte Meletem. ad Pand. conspicitur.

d) in Hermeneutic. Iuris, §. 44.

praeſertim quum noſtriſ diebuſ qui veruム ingressuſ ſit ſtadiuム, nae
ille fit

rara auis in terris nigroque ſimillima cygno.

Quos autem arbitria demonstrandi ratio producere poſſet errores, inſigne nobis haud ita pridem inter legendum obtulit exemplum Diſſer-
tatio HERRMANNI BECKERI^{e)} de pupillari ſubſtitutione intuitu
bonorum aduentitorum nulla, Rofſtoch. 1746. habita, in qua ex prin-
cipio illo innocuo, neminem de bonis alienis neque inter viuos neque
mortis cauſa disponere poſſe, methodo, quam adfeſtat, mathematica,
inauditum illud atque falſiſimum prorsus confeſtarium, ſubſtitutionem
pupillarem neque intuitu bonorum aduentitorum, neque adeo poſt
mortem adquisitorum valere poſſe, contra expreſſas legum diſpoſi-
tiones dedit, non ſine magna verborum et demonstrationis pompa.
Non coaceruabimus exempla vbiuiſ obuiā: in perniciem tamen incli-
nantis immo in excidiuム ruentis Iurisprudentiae ſignum eſt, ſi num-
erum eorum in dies crefcere videmus. Dii immortales! quo euadet
Iurisprudentia ſi ſic pergitur? Quidquid enim detrimenti adulterint
Bartbolus Baldus et id genus plures, non maius eſſe poſteſt quam ea
deprauatio cuius reum ſeſe facit hoc pefſimum quod terra tuliſ, homi-
num genus. Sicuti vero hi philoſophici Iurisconsulti ut nominari cu-
piunt (aut potius iuriſi Philoſophi, de Iurisconsulto enim nil niſi no-
men habent,) totam rem in arbitriis et fucatis demonstrationibus di-
uiſionibus ſubdiuiſionibus et diſtinctionibus ponere ſolent, ita e contra-
rio alii ita confuſe et inordinate rem exponunt, ut quae eorum ſit ſen-
tentia quaque materiae doctrinaeque facies, non niſi maximo proprio
cum labore cognoscere poſſis proprioque studio digerere debeas. Bene
vero, ſi quid ego video res ſuas agunt qui vtramque et elegantiorem
et methodicam tractationem ſororio quaſi vinculo coniungere ſtudent.
Horum ego exemplum ſecuturus apud animuム conſtitui ſingularibus
quibusdam ſcientiae legitime capitibus aut nondum plane aut non fa-
tis ut videntur expositis meam qualemcumque dicare operam, ut et
ego meum quaſi lapidem ad totum perpoliendae Iurisprudentiae aedi-
ficium contulisse meoque officio, quantum per vires noſtras quarum
imbecillitatem optime cognofco liceret, ſatisfecifſe videar. Etenim non

ſolum

e) Nolumus quidem de laude, ſi eam pepererit V. C. quidquam detrahere, ſed au-
toritatem cuiuscunq; ut par eſt, ſpernentes, ſcapham diximus et dicemus ſcapham.

solum antiquissima atque laudatissima prorsus consuetudine hocce in
Academiis viuentibus impositum videtur officium, sed quandoque Re-
giis ut testatur LESTOCQ, *constitutum est sanctionibus*, vt qui
munus academicum sustinere vellent, ingenii et scientiae foetum sensim
ederent. Elegi inter alia, quibus si fieri possit lucem aliquam adfun-
dere animus est, primum istud nobilissimum thema, nondum satis, vt
dignitas eiusdem exigere videbatur, excultum atque perpensum. Ex-
cipient illud alia, si plausum tulerit virorum, quorum est videre ne
quid Iurisprudentia detrimenti capiat. Quid ego praefiterim cur me
praecone vrat? Iudicent potius de eo, quos iudices competentes orbis
iam litteratus adgnoscit, quorumque iudicium aequo semper feram ani-
mo. Non dubito autem fore plerosque quibus et hic labor, vt omnia
mea, iniussus erit, quique meam bene saltim de Iurisprudentia merendi
prolixam voluntatem alto aspernabuntur supercilio. Horum ego obrecta-
tiones, iisdem fere adsuetus, non curabo. Rodant, vituperent, calumnien-
tur quantum lubet, ego propterea meum finem caussamque meam noa
deserendam putabo, praesertim quam non scripta sed personam inter
priuat tantum parietes inaudere audeant, quorumque nomen (cuius
meminerint vellem) vix ac ne vix quidem libris censualibus inscriptum
est, quibusque adeo nullum in comitiis litteratorum suffragium esse
potest. Abeant et cum verulis quibus non sunt absimiles rem habento.
Tu autem Valeas B. L. mihique, si non plane indignus fuero tuo fau-
ore, faueas. Scrib. Trai. cis Viadr. d. xxvi. Ian. M D C C LXXXV.

¶ in praefat. ante librum quem edidit sub vaniloquo titulo: Grundlegung einer
pragmatischen Rechtshistorie oder Einleitung in die allgemeinen natürlichen gött-
lich geoffenbahrten Völker Römisch-Deutschen so wohl als besondere Preußische,
Pohlnische, Lief- und Curländische, auch anderer nordischen Völker Rechte, (Kö-
nigsb. 1766.) verbis: als weshalb die hohen Königl. Verordnungen Profes-
sores verbinden von Zeit zu Zeit etwas auszugeben, um dadurch zu be-
weisen, daß sie, wo nicht der grossen gelehrtien Welt, mit angezündeten
neuem Lichte, doch ihrer Academie, und der darauf wachsenden Jugend,
deren Begriff uns Umständen nach nützlich und förderlich werden. Hisce
et aliis rationibus excusat facinus quo si librum ipsum eiusque contenta specta-
mus, nullam exculationem mereji videtur. Namque si historiam Iuris Prussico
Brandenburgici exceptis nihil inuenies quo non centies et melius et restius di-
ctum sit adeo vt Telgmanni Hermanni Hanwatteri longe longeque supererent
scriptorum recentissimum. Quadrata miscer rotundis, summa inis; fabulis de-
leclatus et allotriis.

CON-

CONSPECTVS.

Sectio generalis.

- §. 1. Causae disceptatione ad finem usque peracta, sententia ferenda est.
- §. 2. ejus Definitio in sensu generali
- §. 3. et in speciali, ut et
 illius divisiones respectu personarum judicantium
- §. 4. respectu causae.
- §. 5. respectu qualitatis causae.
- §. 6. differunt sententia et res judicata
- §. 7. quae posterior definitur.
- §. 8. ejus requisita.
- §. 9. et §. 10. virium rerum judicatarum fundamentum.
- §. 11. deficiente hoc fundamento sententia in rem judicatam non
 transfit.

Sectio specialis.

Vires rei judicatae considerari possunt.

A. ratione personarum judicium constituentium.

- a. respectu judicis.
 1. res judicata a judge retractari nequit. §. 12.
 2. si male judicaverit, item facit suam §. 13.

B. respectu partium.

1. pro veritate habetur §. 14.
2. ei standum est §. 15.
3. datur exinde actio rei judicatae §. 16. 17.
4. exceptio rei judicatae §. 18.

A. hu-

A. hujus requista.

a. personarum identitas §. 19.

b. eadem res §. 20.

c. et causa §. 21.

d. an idem procedendi modus requiratur. §. 22.

B. Quando opponi debet. §. 23.

B. ratione aliarum personarum §. 24.

1. judicis §. 25.

2. de sententia in causa status lata. §. 26. et 27.

3. ratione debitoris et fidejussoris. §. 28.

4. ratione successorum. §. 29.

5. ratione delinquentium §. 30.

6. ratione omnium subditorum §. 31.

Rerum judicatarum dissolutio.

1. per remedium juris civilis §. 32.

2. per remedium juris canonici §. 33.

Q.

Q. D. B. V.

SECTIO GENERALIS.

§. I.

Causae disceptatione in iudicio ad finem usque perducta, et facta conclusione in causa, per quam disceptationis finis declaratur, supereft id, quod litigantes expectant, causae inter eosdem ventilatae decisio, ea in se continens, quae iudex hac de causa sentit ex legum praescripto, id est sententia fertur, quae vim omnem accipit si transierit in rem iudicatam. Constatutum mihi primum fuerat, vires rei iudicatae tam intra quam extra imperium Rom. Germanicum exponere. Quod consilium, cum ob temporis angustias exequi mihi haud licuerit, praemissis hoc specimine principiis, quae in genere ad vim rei iudicatae ex iuris communis rationibus pertinent, vim eius extra territorii et reipublicae limites alio loco expendere in animum induxi. Ut vero de re iudicata rectius dicere liceat, de inde sententiae eiusque speciebus quaedam exponenda sunt, cum a sententiae qualitate vis rei iudicatae dependeat.

A

§. II.

§. II.

Sententia in sensu' lato, a sentiendo dicta, accipitur pro opinione iudicii, voluntatisque significatione a). Iudex enim secundum id quod sentit ex legum praescripto, causa diligenter disputata, perpensoque bene iudicio sententiam pro alterutra parte pronuntiat. Hoc sensu arbiter quoque dicitur ferre sententiam b). Possunt omnino sententiarum diuersitates oriri, respectu personae iudicantis, illius nempe, qui, quid de causa quadam fentit, dicit, et respectu obiecti, denique respectu finis.

§. III.

In sensu stricto autem sententia est pronunciatio iudicis, quae causae dubiae, in iudicio disceptatae decisionem continet c). Cum iudicis nomen late pateat; decisio ferri potest aut a iudice qua tali, aut ab alia persona, iudicis personam in sensu lato tantum sustinente. Illa sententiae judicialis, haec vero sententiae extrajudicialis nomine venit, qualis ab arbitro, vel ab alio quodam Icto seu facultate iuridica fertur. Ista vocatur laudum arbitri d) quod ex partium conuentione tantum valet; haec vero proprie dicitur sententia informatoria, seu consilia D^{um} facultatis et Collegii Ictorum.

§. IV.

- a) vid. L. 11. §. vlt. D. de iurisd. L. 7. §. f. D. de supell. leg. L. 32. D. de damn. infect. L. 19. D. de recept. arb. L. 8. §. 4. si feru. vindic.
- b) L. 2. D. de sent. et interl. L. 19. pr. iunct. L. 1. ex Tit. D. de recept. arb.
- c) L. 1. et 14. D. de re iud. L. 3. §. 2. C. de iud. ped. L. 39. D. de Min. Illuстр. g. L. BOEHMER Princ. Iur. Can. §. 817. edit. 3.
- d) L. 13. §. 5. D. de his qui not. inf. L. 19. §. 2. D. de recept.

§. IV.

Subsistit in sententia iudiciali seu proprie sic dicta, quae ratione causae in iudicio disceptatae abit in definitiuam et interlocutoriam. *Definitiua*, quae etiam *κατέξοχη* sententia dicitur, (ein Endurtheil) est, quae causae *principalis* in iudicium deductae, interlocutoria vero, quae causae incidentis in iudicio motae decisionem continet e). Commodo etiam definitiua sententia quod ad materiam, in condemnatoriam, absolutoriam, et mixtam, partim absolucentem partim condemnantem diuidi potest f). Item in cassationem et paritoriam plenam, nec non in desertoriam et non deuolutoriam, quas omnes explicat Illustr. I. ST. PÜTTER in noua epit. proc. imp. §. 101. 234. 354. Edit. 2. Praeterero sententiae interlocutoriae divisionem in *simplicem* seu meram, quae processum ut plurimum respicit, et in *mixtam*, quae causae principali praeiudicium facit, cum earum euolutiones a scopo, quem mihi proposui, longe absint.

§. V.

Ratione qualitatis cause sententia in varias dipisci potest species, quae ex sola nominatione explicationem capiunt, nempe sententia ciuilis, criminalis, feudalis, matrimonialis, et quae sunt reliqua.

A 2 Sen-

e) L. 1. L. 4. §. 6. D. de re iud. L. 1. C. de execut. rei iud. L. 14. D. de re iud. C. 38. X. de offic. deleg. C. 37. X. de test. L. 55. L. 38. et 42. D. de re iud. C. 2. X. eod.

f) L. 1. D. de re iud.

Sententiarum diuisiones, quomodo in quatuor species factae sunt, in interlocutoriam, definitiuam, praexceptam et multtam, in tres, nempe in definitiuam, interlocutoriam meram et mixtam, in duas, nempe in definitiuam et interlocutoriam videri possunt in SIGISM. SCACCIA tr. de sentent. et re iud. p. 281.

§. VI.

Sententia et res iudicata valde discrepant, ut causa et catus, quamvis adsint leges, ubi sententia, quae nondum in rem iudicatam transiit, res iudicata vocatur *g).* Sed leges improprie loquuntur, quando sententiam adhuc appellabilem rem iudicatam appellant; istae vero leges quae sententiam, per descendii lapsum inappellabilem rem iudicatam vocant, loquuntur propriis *h).* Quamvis iudex suo officio, quo semel pronuntiando fungitur, satissecerit et finem per sententiam controversia acceperit: exakte tamen loquendo res iudicata tunc talis dicitur, quando descendii spatium secundum ius commune, s. statuta fatalia, egressa est. Ante huius fatalis spatii lapsum res adhuc fere integra est, cum victori certum indubitatumque ius ex sententia, quae per remedium reformari et corrigi potest in noua instantia, non nascatur, sed tantum euentuale. Imo ante descendium iudicii adhuc competit ius emendandi verba *i),* ea interpretandi *k),* supplendi accessoria, quod tamen eodem die, quo lata est, fieri debet *l).* Eodem modo laudum

g) L. 1. D. de re iud. L. 14 C. de appell. L. 40 §. 1. D. de partis.

h) SCHILTER prax. iur. rom. Exerc. 46. §. 2.

i) L. 46. D. de re iud.

k) L. 4. §. 1. D. de appell.

l) L. 42. D. de re iud.

dum arbitri proprie non dicitur res iudicata, quia improprie tantum loquendo dicitur sententia ergo et improprie tantum vocari potest res iudicata m).

§. VII.

Est vero res iudicata, lis, sententia iudicis ita decisa, ut inter partes vim iuris constitutam (da die Vrtheil Kraft Rechtens ergriffen) f. quae finem controuersiarum pronunciatione iudicis accipit o). Synonima rei iudicatae sunt, iudicatio p) terminatum transactumque negotium q) absolutum dimissumque iudicium r) iudicatum s) sententia judicialis t). Ex sententia demum fit res iudicata, quod accidit, si ab ea non est appellatum intra legitima tempora, vel si appellatum est, appellatio fit deserta, cuius rei iudicatae vires a sententiae viribus valde diuersae sunt. Sententia enim, quae nondum in rem iudicatam transiit executioni dari nequit.

A 3

§. VIII.

m) IOH. FRANC. A RIPA Comment. ad ius ciu., ad L. res iud. D. de re iud. p. 216.

n) L. 45. D. de re iudic. Illustr. G. L. BOEHMER princ. iur. can. §. 823.

o) L. 1. D. de re iudic. MEVIVS P. I. D. 109. n. 6. L. 14. §. 1. D. de appell.

p) L. 3. C. de indic. pedan.

q) L. 3. C. de fruct. et lit. exp.

r) L. 45. D. de re iud.

s) L. 47. pr. D. de re iud.

t) L. fin. Cod. sent. resp. non poss. IVST. MEYERI Coll. iur. arg. L. 42.

T. 1. Th. 3.

§. VIII.

Quo sententia in rem iudicatam transeat, requiritur, ut a iudice competente, seruato iuris ordine, debitaque causae cognitione adhibita, lata sit, dum sententia nulla, secundum iuris romani praecepta nullos rei iudicatae effectus fortiri potest u). Quaenam vero sententia hoc effectu pro nulla habenda sit, de eo disponit Recessus Imperii Nouissimus, quod legis imperii caput inter maxime controuersa et dubia, imo a multis inter maxime obscura resertur. Distinguit nempe R. I. N. §. 121 ex 122 inter sententiarum nullitates sanabiles et insanabiles, et propter has tantum sententiam rei iudicatae excludi a viribus, illas vero rem iudicatam sententiae non impediare decernit. Disponit porro quaenam sint nullitates sanabiles, et quaenam insanabiles, regulamque constituit in §. 121, ut a sententia tam nulla quam iniqua, ad impediendas vires rei iudicatae remedium intra decendum interponatur; quo interposito, nullitas per nouam sententiam tolli et sanari potest. At §. 122 exceptiones ab hac regula determinat, quas sententias hac in exceptione comprehensas nullitate insanabili laborantes appellat. Huc pertinent sententiae, in quibus nullitatis ratio in persona iudicis aut partium, aut in substantialibus ordinis iudicarii sita est. Harum sententiarum nullitas post triginta denum annos impugnari amplius nequit, quibus effluxis in rem iudicatam etiam transeunt x). Sed haec explicare a scopo meo nimis remotum est, eoque magis cum Exc. I. S. T. PÜTTERVS ex instituto de hac scriperit materia, in program. de nullitate theoria generalis et in *Diff. de quaerelae nullitatis et appellationis coniunctione* quae exstant in Eiusd. Opusc. remiud. imp. ill. p. 292 etc. et p. 302. seq.

§. IX.

u) L. 4. C. de sent. et intert.

x) I. H. BOEHMER Comp. D. L. 49. T. 8. §. 4.

§. IX.

Vires rei iudicatae de quibus sigillatim agemus, nituntur consensus partium, qui consensus pro fundamento virium haberi potest, quae leges tribuunt rei iudicatae. Multis modis litigantium consensus in rem iudicatam declarari potest. Expressis verbis saepe declaratur, si e.g. condemnatus in iudicio expresse declarauerit, se sententiae latae acquiescere velle; idem ante sententiam latam declarari potest, si litigantes inter se conuenerint, quod omni appellatione alioue remedio suspensiō sive deuolutiō remoto, sententiae stare velint, quam iudex protulerit. Cum modus rem non variet, idem obtinere palam est, si is consensus tacite a partibus declaratur. Tacita declaratio interuenit, quando litigantes sententiae acquiescunt, nulloque remedio contra sententiam vtuntur. Addo et illud, in litis contestatione contineri rationem consensus generalis litigantium in iudicis decisionem y); qui consensus ad potiores eius effectus omnino referri potest. Litis contestatio iure hodierno est actus unilateralis z), ubi reus ad actionem respondet, animo rem iudicialiter suscipiendi, ac per iudicis decisionem finiendo. Huius rei nobilis non ignobiles esse possunt effectus, quae sunt verba Huberi, inter cuius effectus generales, susceptio iudicialis causae dubiae eiusque iudicialis decisio eminent. Noua itaque quaedam obligatio, quae quasi ex contractu oritur, per litis contestationem inducitur, quae

ad

y) quod et HYGO GROTIUS confirmat in I. B. et P. L. II. C. 21. §. 20. afferendo: sententiae et liti contestatae vis contractus datur, et noua inde accedit debendi causa.

z) nempe rei, interdum etiam actoris, quando hic ad rei exceptiones respondet, dum reus excipiendo actor fieri dicitur, L. I. D. de exc. L. I. Cod. eod.

ad veterem accedit, condemnatumque obligat ea soluendi, ad quae per iudicis decisionem ac condemnationem de nouo obligatur *a)*. Quae de partium in sententiam consensu protuli, confirmantur in C. 15. X. de sent. et re iud. cuius verba haec sunt. "Post decem dierum spatium sententia in auctoritatem, rei iudicatae transit, qui ad prouocationis subsidium intra id temporis non recurrat appellandisibi aditum denegavit: cum per hoc videatur, per interpretationem iuris latae sententiae paruisse."

§. X.

Si iuris naturae pracepta respiciamus verum quidem est, dari etiam certam processus theoriam, quia lites generi humano quasi innatae sunt. Nihil vero tam naturale est, quam ut litium demum sit finis, ne immortales reddantur. Si itaque ponimus, item decisioni iudicis committi a litigantibus, ex conuentione obligantur, stare sententiae iudicis electi. Datur itaque iam de iure naturae litium finis per iudicis sententiam. Legibus positivis relictum est, tempus determinare, intra quod iudicis sententiae standum est. Haec tempora, quae de iure romano antiquo variabant, a Iustiniano demum, quod et de iure canonico seruatur ad decem dies restricta sunt.

Si intra decem dies sententia non impugnatur, omnes quae rei iudicatae tribuuntur vires, impetrat. Merito hic conferri possunt L. vlt. C. de sentent. quae sine cert. quant. et L. 1. C. de iurisd. omn. iud. quarum verba haec sunt: = Cum igitur is, qui postea iudicabat, contra te certam sententiam protulerit, neque a statutis prouocaueris: *ipso tuo facto confirmasti sententiam*. Posterioris legis dispositio haec est: = Cum ipsis eum iudicem elegeritis, et is confen-

a) L. 3. §. II. D. de pecul.

tientibus aduersariis sententiam tulerit, intelligetis, vos acquiescere debere rei ex consensu vestro iudicatae.

§. XI.

Apparet exinde omnes sententias, quae respiciunt causas, in quibus litigantes consensu suo se submittere possunt iudicis sententiae, in rem iudicatam transire. Dantur tamen huius regulae exceptiones, et sententiae quaedam ob defectum consensus in rem iudicatam non transeunt, quarum praecipuas obiter tantum enarrabo. *Primo ob qualitatem et fauorem causae* quaedam sententiae in rem iudicatam non transeunt. Ad has causas resero sententias matrimoniales et criminales, utrasque vero tantum certo respectu. Nimirum sententia lata in causa matrimoniali *pro matrimonio* omnino post decendii lapsum sit res iudicata; si vero ex falsa causa lata sit contra matrimonium, tunc nunquam res iudicata ex ea fieri potest. Reuocari potest quandocunque talis sententia, si error sententiae detectus fuerit, et quandocunque contrarium legitime constiterit, tunc sententia dissoluetur, quod exemplo confirmat caput 7. X. de sentent. etre iud. Quod ad sententias criminales attinet, si quae contra innocentiam latae sint, nunquam ob innocentiae fauorem res iudicatae fieri possunt, quia sententiae condemnatoriae nemo se submittere potest. Absolutoria tamen sententia transit in rem iudicatam. *Dantur etiam secundo sententiae*, quibus ob defectum in iisdem obuium vires rei iudicatae vindicari nequeunt, ad has resero. 1) Sententias, quae defectu temporali laborant, id est sententias obscuras, quae declaratione indigent, et haec demum post decendii lapsum, facta earum declaratione res iudicatae fiunt; 2) quae defectu perpetuo laborant, id est sententias nullitate laborantes, quae nunquam in rem iudi-

B

ca-

catam transeunt, quia ex ipsa nullitatis indole, nullos in iure effectus fortiri possunt, cf. tamen quae dixi § 9. Consilia artificum, ut et rationes decidendi, nisi hae pars quaedam sententiae sint, et infacto non vero in iure consistant, nunquam fiunt res iudicatae. Sufficiant haec quae de sententiis in rem iudicatam non transeuntibus dixi; quae in speciali diff. latius exposuit I. H. BOEHMER de sent. in rem iudicatam non transeuntibus, in Eiusd. Exerc. ad D. T. V. N. 87, p. 514.

SECTIO SPECIALIS.

§. XII.

Progedior ad vires rei iudicatae exponendas. Iudicata salua atque integra seruari publice interesse, iure existimatum est, cum rerum iudicatarum auctoritas ad pacem tranquillitatemque totius reipublicae pertineat. Cicero in oratione pro Sylla agnoscit, rei publicae salutem maxime rebus iudicatis contineri. Addit in oratione pro A. CLVENTIO: extremae impudentiae esse, iudicata labore factare conari, cum rerum iudicatarum facilis rescissio ruentis reipublicae signum sit. In orat. in Verrem ait: Perditae ciuitates desperatis omnibus rebus hos solent exitiales exitus habere, ut damnati in integrum restituantur, vinciti soluantur, exules redundantur, res iudicatae rescindantur. Quae quum ita sint, rebus iudicatis in iure nostro insignes tribuuntur effectus, inter quos quae iudicem spectant primo loco referto; quod sententia semel dicta non possit rescindi, mutari, nec vlo modo retractari b).

Lata

b) L. 14. 55. D. de re iud. L. 2. C. de sent. ex peric. recit. L. 10. C. de pro- cur. L. 2. 4. C. de re iud. L. 1. §. vlt. de quaest. L. 19. §. vlt. D. de recept. arb.

Lata enim sententia desinit iudex esse, et ius, quod parti litiganti vici tri ex sententia lata est quae situm, nullo modo absque suo facto auferri potest, cum nec ipse legislator et princeps iura subditorum quae sita tollere possit *c).* Sententia enim etiam si nondum facta est res iudicata, nec eodem die quo lata est a iudice reuocari, nec si iudex in mortis articulo iniuste a se sententiam pronuntiatam dicat, tolli potest *d)*, quod multo minus post X effluxos dies procedere potest, nisi rei iudicatae autoritas eluderetur, contentuique daretur; quod si accideret, lites fierent immortales, et reipublicae salus, quae in pace, tranquillitate et securitate iuris alicui competentis consistit, euerteretur. An vero superioris et principis iussus contra iudicata attendi debeat, difficilior quae stio est, cum ex potestatis plenitudine iste iussus dicatur emanare. Sequentibus ex rationibus non attendi debere contendo. Quando publica salus cum priuatorum salute non collidit, iura subditorum quae sita ex plenitudine potestatis auferri nequeunt. Sed res iudicatae litigantibus per leges publicas, ideoque per ipsam principis voluntatem ius tribuunt quae situm, quod et consensu partium constituitur, cum partes iudicem adeuntes, in eius sententiam, et quod ei stare velint, quasi compromittunt *e).* ideoque posito partium iure quae sito ponи etiam debet, quod immutari non possit, nisi publica reipublicae salus collideat *f).* Istorum omnino protervia ac audacia

B 2

cia

c) L. 3. C. sent. refc. non poss. L. 77. D. de reg. iur. L. vlt. C. de error. aduoc.

d) L. 12. §. 3. D. de bon. lib. L. 62. D. de re ind. 1. MEYER Coll. iur. Arg. L. 42. T. I. Th. 70.

e) L. II. §. 1. D. de nouat.

f) COCCES ius controv. L. 42. T. I. Q. 10.

cia coerceri meretur, qui per superiores iudicata labefactandi ac eludendi occasionem praebent, et principum rescripta iudicatis contraria, pro sub et obreptitie impetratis censeri nec attendi debent^{g).} Hinc rescriptum contra rem iudicatam impetratum, etiam si adiecta sit clausula: non obstante tali sententia, valore destituitur^{h).}

§. XIII.

Secundus rei iudicatae respectu iudicis effectus est, quod index si male iudicauerit, litem faciat suam, eoque nomine actione in factum possit conueniri^{i).} Ex primo effectu hoc descendit confessarium; quando enim sententia ob iudicis imperitiam, qui in fere tendis sententiis de leui tenetur culpa^{k)} male lata est, et in rem iudicatam transit, immutabilis tunc est, et ob ius parti laesae in sententia ademtum, merito datur actio contra iudicem male iudicantem, quae nomine actionis syndicatus venit, et contra omnes personas iudicij cuiuscunque sint generis ac status, etiam si essent summorum imperii tribunalium membra, parti laesae patet, de cuius actionis requisitis videndus est illustr. G. L. BOEHMER de remedio syndicatus aduersus sententias Camerae et illustr. I. S. PÜTTER in epit. process. imp. §. 406 ibique allegatos.

§. XIV.

g) L. 23. C. vt lite pend. L. f. C. quom. et quand. MEVIVS P. II. D.

195 n. II.

h) I. LVD. BENDER de reuisione conclusiones decisi, Concl. 22. n. 21.

i) L. 2. C. de Poen, iud. qui male iud.

k) §. 7, I. de lege Aquilia L. 132. D. de R, I.

§. XIV.

Transeo ad rei iudicatae effectus qui respectu partium producuntur, quos inter non immerito principem obtinet locum, *quod pro veritate habeatur l).* Hanc rei iudicatae vim interpretes mire extollunt: quod accipiatur pro veritate, ex non ente faciat ens, ex albo nigrum, ex non debito debitum, ex illiquido liquidum, ex iniusto iustum, ex falso verum, aequet quadrata rotundis, praesumptionem iuris et de iure operetur, notorium inducat, iustum ac praescribendi titulum praebeat, finem omnino liti imponat, fidem faciat et ius inter litigantes, quae effata omnia collegit LEYS. Med. ad D. Spec. 470 M. 1, 2. ex COTHMANNO, BERLICHIO, MEVIO, SVRDO, MERKELBACHIO ad KLOCHIVM, etc. Ex hisce similibusque locutionibus vnamis iuris D^{rum} sententia appetat rerum iudicatarum auctoritatem maximam esse, nec mutationibus obnoxiam, cum aliquin modus litium multiplicatus difficultatem faceret summam atque inexplicabilem *m).* Postquam enim sententia in rem iudicatam transiit, iudicatum praesumitur tam quoad iustitiam quam merita causae bene prolatum esse, quae praesumptio tanti est roboris, ut sit iuris et de iure, quia nec contrarii probationem admittit *n).* Si sententia huius effectus spectamus, ad causam, ob quam lata est sententia, minime recurrentum esse existimo *o).* Istae enim sententiae, quibus falsa decidendi causa originem dedit, nihilominus in rem iudicatam transire possunt, cum laesus in sententiam consenserit. Ve-

B 3

rum

l) L. 25. D. de Stat. hom. L. 207. D. de R. I.

m) L. 6. D. de except. rei iud.

n) MENOCH de praesumt. L. II Praef. 167. n. 47,

o) Dissent, MEVIVS P. III. D. 104. n. I. 2.

rum quidem est, iudicati executionem solere suspendi, et soluti dari repetitionem, si falsis instrumentis circumuenta sit religio iudicantis, et hoc manifestis probationibus fuerit ostensum p).

At supponit haec dispositio, laesum sententiae non acquiescisse, sed remedio quodam sententiam rescindente ysum esse, alias iuris canonici dispositio supra allegata q) locum inueniet, "si grauatum te credidisti, cur non appellasti et" tuo facto confirmasti sententiam. Verum ac genuinum rerum iudicatarum auctoritatis fundamentum potius in consensu litigantium in sententiam et simul in reipublicae salute et vtilitate publica positum est, cum aliquando litium finis esse debet. Etiamsi itaque sententia iniqua sit, perpetuam tamen veritatis auctoritatem accepit r); ideoque nemo causam semel decisam, nisi ex iustis probatisque causis refricare debet. Graues sunt poenae, quae litium multiplicatores expectant.

Carebunt desiderio, ignominiae poena notabantur s) et in omnem litis aestimationem condemnabuntur t).

§. XV.

p) L. f. C. si ex falsis instr.

q) C. 15. X. de sentent.

r) L. pen. D. de Iust. et Iur. Expedit enim magis reipublicae, vt res iudicata sit firma, perinde vt magis expedite, firmas ac manentes habere leges, quam sub praetextu meliorum saepe mutare L. 2. D. de constit. princ. Gonzalez Tellez ad Decretal. ad c. 13 de Appell. T. II. p. 757.

s) L. f. C. vt lite pend.

t) L. 2. C. cod.

§. XV.

Secundus rei iudicatae inter litigantes effectus est, vt ei praecise sit standuin, quia ius facit inter partes etiamsi male iudicatum sit *u*). Post rem iudicatam enim amplius non quaeritur, an recte iudicatum sit, sed tantum an sit iudicatum et quomodo *x*). Si enim pars victa laesam se existimavit, culpa sua tribuere debet, quod remedium contra sententiam, antequam in rem iudicatam transiit, haud interposuit, quae via omnibus in sententia laesis aperta est *y*). Cum rei iudicatae simpliciter standum est, consequens est, vt condemnatum id dare facere oporteat, quod dare vel facere a iudice in sententia iussus est *z*), id quod sub nomine paratae executionis rei iudicatae venit, quae danda est a iudice ne sententia fiat frustratoria *a*).

§. XVI.

Rerum iudicatarum effectus tertius et quartus est, quod ex sententia datur vel actio vel exceptio: haec ordinarie, si sententia fuerit absolutoria, illa, si fuerit condemnatoria, quarum naturam paulo latius inuestigabimus. Ipsa actio vocatur rei iudicatae, quae est personalis, et datur vitori aduersus condemnatum, ad praestandum id, ad quod condemnatus est *b*). Cum haec actio tendat ad idem

ad

a) L. 1. C. de re iud. L. 8. C. de sentent. et intert. L. 32. h.

x) L. 56. D. de re iud. L. pen. c. eod.

y) L. 1. C. si saepe in integr. rest.

z) L. 3. C. de re iud.

a) L. 2. C. de exec. rei iud.

b) L. 4. pr. §. 2. 3. 5. L. 6; §. 2. 3. L. 15. pr. D. de re iud.

ad quod actio prior instituta competebat, primo obtutu pro superflua haberi posset. Sed animaduertendum est, quod ex litis contestatione, tanquam ex quasi contractu noua ad veterem acceperit obligatio, ex qua originem capit, eoque nomine personalis vocatur c). Noua itaque est actio, quamvis prior obligatio non extinta sit, ea- que est celerrimae expeditionis, siquidem eam mox sequitur executio d) quae ante rem iudicatam non decernitur, nisi per naturam sententiae res iudicata nunquam fiat (vt in quibusdam casibus sententiarium criminalium ac matrimonialium) vel periculum in mora adsit, ob quod res iudicata expectari nequit, et sententia execu- tioni mox mandari potest.

§. XVII.

Actionis rei iudicatae obiectum est id, ad quod reus condemnatus est, siue hoc concernat rem principalem, siue accessiones rei et vsuras, quae, quod singulare est, centesimae fortis sunt f). Vtrum hodie adhuc vsu obtineant centesimae vsurae, inter juris D^{ores} con- trouertitur: Ceterum earum vsum defendi posse arbitror, quamvis huius loci non sit hoc vberius exponere g). Si huius actionis vsum hodiernum spectamus, exulat e foris germanicis quoad nomen, quamvis rem ipsam habeamus. Ordinarie enim petita executione decernuntur hodie mandata sine clausula, iussum absolutum in se continentia, vt ea fiant, quae vi rei iudicatae praecipiuntur. Sunt

c) L. 3. §. 11. D. de Pecul. L. f. pr. vers. sic enim C. de vsur. rei iud.

d) L. 1. C. de exec. rei iud. L. 56. D. de re iud.

e) L. 4. §. 3. D. de re iud.

f) L. 7. C. de exec. rei iud.

g) videri potest LEYSER Med. ad ff. Sp. 244. m. 7.

haec mandata celerrimae expeditionis, et cum rebus iudicatis innitantur, grauissimi exempli res foret, si exceptio, quod sub et obrepertie impetrata sint, eis opponeretur. Per illorum usum prorsus concidit obiectio antea proposita, quasi per actionem rei iudicatae lis ex lite oriatur, cum solius executionis causa, nouus mandatorum processus instituatur.

§. XVIII.

Exceptio rei iudicatae, quam antea laudaui, ei actioni opponitur, quae rei inter litigantes iam iam iudicatae repugnat. Ordinarie competit haec exceptio, absoluto in priore iudicio; sed si ex inde definitionem formarem falsa fieret. Dantur enim casus vbi reo antea condemnato haec competit exceptio, quod per L. 7. §. 1. D. de compens. tunc procedit, quando e. g. index exceptionem compensationis reprobauit, quasi non existente debito, reumque ad soluendum condemnauit. Ponamus vero reum postea idem, quod in compensatione deductum est, debitum ex eadem causa petere, ab auctore prioris iudicii exceptione rei iudicatae repelletur. Generalius quam proposui rei iudicatae exceptionis definitio omnes in se comprehendit casus, qui obuenire possunt.

§. XIX.

Ad opponendam hanc exceptionem requiruntur, idem auctor et reus, eadem res ac causa.

Quod ad personarum identitatem attinet, haud praecise una eademque persona esse debet, quae antea iudicium instituit, sufficit enim quod respectu causae ac rei hae personae aut naturaliter

C

aut

aut civiliter pro vna eademque habeantur persona. Datur haec exceptio illi, qui ad actionem tollendam re antea iudicata vti potest, quod ordinarie accidere quidem monui quando in priore iudicio absolutus est. Nec interest vtrum ipse antea conuentus, de nouo conveniatur: cum sufficiat quod posterioris iudicij reus pro vna eademque persona cum priore reo habeatur. Quia haec exceptio est realis, competit omnibus, qui in rei locum successerunt, nulla habita distinctione, vtrum sint vniuersales an particulares successores *h*). Immo omnibus qui ex priori sententia, quae in rem iudicatam transit, commodum expectare possunt, prodest. Si itaque creditor pignus habens de proprietate huius pignoris ab alio quam a debitore convenitur, et in iudicio absoluitur, resque iudicata fit, debitori adversus eundem, qui creditore de pignoris proprietate conuenit, prodest rei iudicatae exceptio *i*).

Ceterum is, cui haec exceptio competit, ea vti potest aduersus priorem actorem, siue ipse siue aliis, qui eius personam sustinet, iudicium instituat. Cum itaque pater et filius, tutor et pupillus, mandans ac mandatarius pro vna habentur persona, ideo res iudicata quae pupillo obest, in hac causa etiam tutori nocet eique opponi potest *k*). Successoribus prioris actoris, tam vniuersalibus quam particularibus, recte etiam opponitur, quia successor et defunctus pro vna eademque persona habentur *l*). Fundamentum huius ex-

cep-

h) L. 59. D. d. R. I.

i) L. 11. §. pen. et fin. D. except. rei iud.

k) L. 4. II. §. 7. D. de exc. rei iud.

l) L. 28. D. de exc. rei iud. L. 3. §. f. D. de pignor. Illustr. I. ST.

PÜTTER Nachtrag zum rechtlichen Bedenken, Marquisin de Favras
contr,

ceptionis est sententia, quae in rem iudicatam transiit: ideoque illa, quae per remediorum suspensiolorum interpositionem adhuc impugnari potest, exceptionem rei iudicatae efficere nequit *m*). Propter rerum iudicatarum auctoritatem non amplius quaeritur, vtrum sententia sit iuste lata, sed an adsit res iudicata *n*). Sententia nulla, quia nullos in iure producit effectus, nec exceptionem rei iudicatae producit. Vtrum sententia quae ab instantia non vero a tota actione reum absoluit hanc exceptionem tribuat, inter D^{res} disceptatur. Sed facili negotio conciliari potest diffensus, adhibita distinctione, vtrum actor actionem in eadem instantia huius actionis persequi, an vero nouam inchoare velit instantiam. In posteriori casu exceptio rei iudicatae, quod reus nempe ab instantia fit absolutus, cum effectu opponi nequit, quia noua nunc inchoatur instantia, bene tamen in priore casu *o*)

§. XX.

Res de qua agitur, eadem esse debet, de qua antea iam actum est. De eadem re tunc toties agitur, quoties apud iudicem posteriorem id quaeritur, quod apud priorem quae situm est *p*). Vtrum totum an pars prioris rei petatur, nihil interest, quae enim de toto praedicantur eadem et de parte praedicari possunt *q*). Si vero antea

C 2

vni-

contr. Anhalt Schaumburg. Goettingen, 1777. fol. §. 18. Nro. 5.
P. 22.

m) L. 42. D. de Minor. L. 32. C. de transact. C. 7. de app. 6.

n) L. 56. D. de re iud.

o) L. 9. pr. L. 17. D. de except. rei iud.

p) L. 7. pr. D. eod.

q) L. 3. L. 7. D. de exc. rei iud.

vniuersitas petita est, et nunc de singulis huius vniuersitatis rebus ageretur, diuersa vel eadem actione, exceptio rei iudicatae locum non habet^{r)}. Plane vero cessat haec exceptio si diuersa petatur res. Illustr. I. ST. PÜTTER Nachtrag zum rechtlichen Bedenken in Sachen der Marquisin de Favras gegen den Fürsten Carl Ludwig zu Anhalt Schaumburg Hochfürstl. Durchl. Göttingen 1777 §. 18. n. 4. N. II. III. p. 21. et Voet, ibi allegatus.

§. XXI.

Vt vero exceptioni rei iudicatae locus sit, non sufficit eandem rem peti, sed oportet eandem esse petendi causam, ex qua antea iam actio instituta est^{s)}. Causa haec an sit ciuilis, an criminalis nihil refert, quod enim in ciuibibus ratione exceptionis rei iudicatae obtinet, idem et in criminalibus obtinere debet. Actionis genus diuersum quidem esse potest, cum diuersis actionibus eadem res ex eadem causa peti queat: imo contingere potest, vt eadem instituantur actio, petendi vero causa sit diuersa^{t)}.

§. XXII.

Sunt, qui eundem modum procedendi in rectiori huius exceptionis usu desiderant. At nisi omnia me fallunt, diuersi modi procedendi ratio habenda non esse videtur, modo identitas personarum litigantium, rei et causae concurrant. Quae allegari solent exempla de realibus actionibus quae conditionem non excludunt, nec

r) L. 7. §. 2. et 4 D. de Except. rei ind.

s) L. 13. 14. 27. D. de exc. rei indic.

t) L. 5. 25. §. 1. L. 9. pr. L. 11. §. 4. L. 17. 18. 25. §. 7. D. de exc. rei ind.

nec non de possessorio et petitorio, ad rem non pertinent. Verum quidem est, quod, etiam si quis rem reali petierit actione, et succubuerit, conditionem tamen instituere possit non obstante exceptione rei iudicatae ^{u)}. Sed eius rei ratio non in diuerso modo agendi, sed in eo continetur, quod res ex diuerso fundamento petatur. Quando enim ex causa reali aliquid petitur, dein ex personali, rei iudicatae exceptio non obstat. Alterum quod allegatur exemplum est, quod victo in possessorio exceptio rei iudicatae in petitorio non noceat ^{x)}. At grauis est petitorum inter et possessorium differentia, diuersa enim res petitur. Possessorii obiectum ad solam possessionem restringitur: in petitorio vero posthabita possessionis ratione, de iure tantum disceptatur. Diuersa vero sunt ius et possessio, et ob hanc diuersitatem exceptio rei iudicatae ex possessorio deponita in petitorio non nocet.

Grauius est argumentum, quod inde desumitur, quod condemnatus ex instrumentis liquidis, paratam quae habent executionem, conditionem indebiti respectu soluti efficaciter instituere possit, quamvis adsit res iudicata. Sed rem paulo accuratius spectanti apparebit, nec illud obstat. Si enim quis ex instrumentis liquidis, paratam executionem habentibus egit, a reo vel exceptions peremptoriae oppositae sunt, quae ut turbidae ac altioris indaginis in separatum iudicium reiectae sunt, vel reus simpliciter condemnatus est. Si posterius ponamus, eaque sententia in rem iudicatam transiit: conditioni indebiti a condemnato institutae semper obstat

C 3

rei

^{u)} L. fin. D. de exc. rei ind.

^{x)} L. 14. §. f. D. de exc. rei ind.

rei iudicatae exceptio, qua possit a iudicii limine repelli. Si prius ponamus, ista sententia, etiamsi in rem iudicatam transferit, rei iudicatae exceptionem non producit. Valet ista sententia quasi in possessorio adipiscendae possessionis lata sit. Nec reconuentio exceptio rei iudicatae obstat, quia de plane diuersa re agitur, non ob diuersum agendi modum. Idem dicendum est de simili exemplo, quod in eandem rem proponi solet. Si actione executio processu proposta, reus ob factam iuratam instrumentorum diffessionem absolvitur, actor nihilominus in processu ordinario, et si sententia in processu executivo lata in rem iudicatam transferit, non repellitur. Sed nec hoc exemplum obstat. Sententia enim quae in processu executivo fertur pro tali est habenda, ac si in possessorio adipiscendae possessionis lata esset. Neminem autem fugit, quod in processu ordinario agenti, ea res iudicata non noceat, non ideo, quod diuersus sit modus agendi, sed quod diuersa res petatur.

§. XXIII.

Exceptio rei iudicatae regulariter post litem contestatam tanquam peremptoria est opponenda *y) nisi in continent probari possit, tunc enim in vim dilatoriae, ad litis ingressum impediendum opponi potest z) cuius effectus est, ut iudex agentem a iudicio repellet, ob ius reo ex re iudicata quaesitum.*

§. XXIV.

Quamvis non desint casus, vbi res iudicata aliis, qui liti non interuenierunt, nec ad eam citati sunt, noceat aut profit, regula tamen

y) L. 8. 9. C. de exc.

z) c. I. de lit. cont. in 6to.

tamen iure prodita est, quod res iudicata aliis nec prodeesse nec obesse debeat. Inconueniens enim foret quod factum alterius, cuius prohibitio respectu mei inanis esset, mihi noceat proposita; nec vni per alterum iniqua inferri debet conditio, siquidem secundum actionum naturam partes litigantes tantum obligantur, et ad nullum alium finem dispositae sunt actiones, quam ut inter partes ius determinetur. Sed dantur huius regulae exceptiones: id quod analogiae iuris, etiamsi lege destitueremur, conuenit, quia a contractu ad quasi contractum duci potest consequentia, et quod contractus operatur in volentes, id operatur sententia in inuitos. Sed rerum iudicatarum respectu non litigantium vires, singulas ac omnes determinare, a proposito meo alienum est, praecipuas tamen casus, quibus res iudicata in non litigantes vim exserit, recensere iuuabit.

§. XXV.

Videamus itaque primo an iudex per sententiam a se latam sibi ipse praeiudicet? Ponitur omnino talis causa, quae iudici praeiudicium inferre potest, alias quaestio esset otiosa et inanis. Metuendi autem praeiudicii duo solummodo dantur casus, ubi videlicet vel ipse competit actio, vel alteri. Si ipse competit actio et ipse egit, causamque decidit, (quod in iurisdictione patrimoniali euenire potest) nullus non video, quare ipse non noceat res aduersus ipsum iudicata. Si ipse vero non egit, cum agere potuisse, aliumque agere passus est, quem excludere potuisse, itidem nulla interuenit ratio, quae impedit vim rei iudicatae aduersus ipsum. At si alterum ponamus casum, quando iudici actio non competit, ei vero ex sententia praeiudicium ideo imminet, quod cum legitimo contradictore res gesta sit. Dubium obiici potest, quod iudex in iudicando publicam

fusti-

suffineat personam, ideoque cum publicum officium nemini obesse debeat, ab omni sententiae praeiudicio liber fit a). Sed haec ratio non videtur sufficere, ut iudici non possit exceptio rei iudicatae opponi: cum si iudex tutus esse velit, ius suum sibi reseruare debeat; quo neglecto, ipsi omnis imputanda est damni, quod exinde oriri possit, causa.

§. XXVI.

Sententia que de causa status fertur, ius facit inter omnes, quando cum legitimo contradicente res est gesta b). Sic qui mota actione praejudiciali per sententiam pro ingenuo, pro liberto, pro seruo, pro patre, pro filio declaratus et pronunciatus est, habebitur et pro ingenuo, pro liberto, pro seruo, pro patre, pro filio quamvis in rei veritate talis non sit, et omnibus quorum, intuitu huius status, interest, prodest nocetue ista sententia, sicubi in rem iudicatam transierit. Requiritur porro, ut quis disertis sententiae verbis, non vero per consequencias, etiamsi necessarias et concludentes, pro liberto, ingenuo, seruo, patre, filio etc. pronunciatus sit. Si quis ad impetranda alimenta agit, quod filius sit, et alter ad soluenda alimenta condemnatur; non ideo tamen pro eius filio habetur, nisi et in sententia pro filio declaratus sit, vel ut filius sit, aliunde iam satis constet c). Pronunciatum enim non est, filium, patremque esse, sed ali debere. De alimentis tota res acta est, et

a) L. 30, §. 1. D. de inoff. testam.

b) L. 25. D. de stat. hom. L. 3. D. de collus. deteg.

c) L. 5. §. 8. D. de agnosc. vel alend. libr. L. pen D. de his qui sui vel alieni iuris.

iudex ad decernenda alimenta satis se instructum existimauit, non vero ad cognoscendum decidendumque, an sit filius paterue, cum alimentorum causa vnicum decisionis obiectum fuerit.

§. XXVII.

De iure filiationis diuersis modis lis oriri potest. Ponamus enim matrimonio per diuortium dissoluto mulierem marito paucos intra dies denunciare, se ex eo esse praegnantem, maritum vero id negare, causamque natalium legitimorum filii, intra iustum tempus deinceps nati, legitimo iudicio disceptari, ac iudicem pronuntiare, esse filium mariti: sententia vtique ius faciet, non solum quoad maritum, sed et quoad omnes, quorum interesse potest. Itaque fratribus extantibus, erit consanguineus frater, filius legitimus patris, omniaque iura quae exinde dependent, illi denerari nequeunt, quia cum legitimo contradicte, cum eo nempe, cuius potissimum intererat, et a quo alii consecutuum ius habent, actum erat *d).* Si vero ista filiationis causa cum patre non fuisset acta, sed cum alio agnatorum consanguineorumue; aliis agnatis, quos aequo principaliter negotium tangit, sententia non praeiudicat. Tantum dependet a legitima contradictoris persona, et quia alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet *e).*

§. XXVIII.

d) L. 1. §. f. L. 2. 3. D. de agnosc. et al. lib.

e) Illust. 1. S. PÜTTER Nachtrag zum rechtlichen Bedenken, der Marquise de Favras contr. Anhalt Schaumburg. L. 1. 2. C. de Cons. eiusd. lit. L. 6. §. 2. D. Mand. L. 60. D. de R. I.

§. XXVIII.

An sententia, quae contra debitorem principalem fertur, etiam fideiussori de iudicatum soluendo praeiudicet, non minimi momenti quaestio est, cum si illi praeiudicat, statim ex ea sententia, postquam in rem iudicatum tranfit, contra eum executiue fine nouo processu procedi possit. Et affirmamus illi praeiudicare. Requireretur enim nouus processus, et ut ne iudicia inutiliter multiplicentur, contra fideiussorem statim sine citatione ad executionem procedi potest.

§. XXIX.

Successores litigantium, quorum causa per rem iudicatam definita est, eodem modo ex ea tenentur ac ipsi litigantes, eodem modo iis nocet prodestue, nulla distinctione habita vtrum sint universales an particulares f). Successor enim, qui causam ab antecessore habet, pro vna eademque persona cum eo habetur, quod etiam in successore singulare procedit.

§. XXX.

Criminis reus vel accusatus, pro quo sententia in iudicio publico fertur, ius facit quoad omnes g). Vidiimus enim quod sententia tunc quoad alias ius faciat, quando res cum legitimo contradicto-

f) c. 25. X. de sent. et reiud.

g) L. 7. §. 2. D. de accus. L. 4. §. f. D. ad L. Iul. de adult. c. 6. x. de accus.

agitata est. In criminalibus autem, posita iudicis habilitate, qua neglecta, nullitates orirentur, semper adeat legitimus contradictor. Quando vero causa criminalis processu accusatorio tractatur, is qui accusavit, semper est legitimus contradictor, (paucis tantummodo exceptis casibus) quia accusandi facultas omnibus patet, ideoque sententia pro accusato lata contra omnes eidem prodest. Sin processu inquisitorio tractatur, iudex accusatoris vicem sustinet, et semper pro legitimo contradictore habendus est, ideoque sententia pro reo lata, semper quoad omnes ius facit. Requisita huius sententiae enarrat STRYK in V. M. D. L. 42. T. I. §. 45., quae intacta relinquere nequeo. Sententia esse debet definitiva, qua reus praeuia cognitione de ipso crimine instituta, a tota accusatione vel inquisitione absolutus est. Sententia enim qua reus tantum ab instantia absolutus est, veluti ob defectum idoneorum indiciorum, pro definitiva non est habenda, cum ne in ciuilibus quidem operetur, rei judicatae exceptionem. Idem dicendum est de transactione, in quibusdam casibus licita, cum ultra transigentes vim non habeat. Sententia porro sine fraude ac praeuaricatione lata esse debet, cum hac probata, semper noua accusatio vel inquisitio institui possit h). Tandem delicti inuestigationem ac cognitionem criminaliter factam esse oportet, cum actio ciuilis de crimine mota et sententia in ea lata non praejudicet causis criminalibus. Quod nonnulli addunt, ut coram eodem iudice res denue agatur, superfluum esse existimo, quia alioquin absolutus nunquam absoluzione gauderet, nec exceptione rei judicatae tutus esset.

D 2

§. XXXI.

h) L. 3. D. de praeuaric.

§. XXXI.

Haud ignobilis rerum iudicatarum effectus est, quod causa semel decisa in eadem curia imo saepe et in eadem prouincia pro lege ac iure habeatur, ac eiusmodi iudicata nomine praeiudiciorum venire soleant. Obseruandum tamen est, vel ideo quod minima circumstantia rem etiam variet, hisce praeiudiciis tunc demum vim aliquam in casibus lege non decisis tribui posse, si de simili causa agitur e. g. cui probationis onus incumbat in negotoria actione, quando reus in quasi possessione seruitutis deprehenditur. Quanta fuerit praeiudiciorum autoritas, vel ex eo appareat quod omni fere iuri consuetudinario originem praebuerint, quod antiquissima imperii germanici iura consuetudinaria rebus iudicatis contenta fuerint *i).* Ex rerum iudicatarum collectionibus omnia fere iura statutaria, et ipsas legum collectiones ortum traxisse, iuris germanici cultores obseruant *k).* Ex quibus omnino intelligitur, res semper similiter iudicatas certi iuris partem efficere, et ad alias eiusdem generis quaestiones definendas ac decidendas utiles esse.

§. XXXII.

Expositis his, quae vires rei iudicatae in genere concernunt, coronidis loco modos adhuc addere iuuat, quomodo res iudicata, cuius tanta vis est, extra ordinem rescindi possit. Duo dantur iuris remedia, quibus res iudicatae impugnari, interdum

i) Gener. I. H. C. DE SELCHOW Elem. iur. germ. priu. hod. §. 8.
Edit. 5.

k) I. G. SIEBER vom gerichtlichen Proces P. I, §. 54, etc. edit. 2.

et rescindi possunt.¹⁾ Vtrumque ius praebet vnum. De iure ciuili datur contra rem iudicatam restitutio in integrum tam praetoria quam ciuilis, eum in finem, vt res iudicata rescindatur ^{f).} Extra ordinem huic remedio tantum locus est, cum iura nostra in L. 35. ff. de re iud. et L. 4. c. eod. sub specie nouorum instrumentorum postea repertorum res iudicatas restaurari vetant. Quae restitutio si esset remedium ordinarium, omnibus contra res iudicatas competeret quibus contingeret, nouas allegare causas, nihil facilius esset, quam rei iudicatae vim prorsus euertere. Sunt tamen certae causae ciuiles, in quibus ob reperta noua instrumenta ^{m)} in integrum restitutio conceditur, nimirum ⁱ⁾ si sententia lata est contra bonum publicum ac reipublicae utilitatem ⁿ⁾ ad quam referuntur causae fisci, ciuitatis, ecclesiae, pupillorum, minorum, aliaeque piae similesque fauorabiles causae; ²⁾ si ex priuilegiata probatione lata sit, e. g. si pro ea lata est qui ius iurandum suppletorium praestitit ^{o)}; ³⁾ Si instrumenta dolo aduersarii antea fuerint occultata, intercepta, vel surrepta, quo minus produci potuerint ^{p)}; ⁴⁾ si proferantur instrumenta ex quibus pateat, antea sentiam huic contrariam latam esse ^{q)}.

D 3 Deni-

¹⁾ L. 1. D. de in integr. rest. L. 7. §. 3. in f. L. 24. §. 1. in f. L. 44. D. de minor.

^{m)} Et testes instrumentorum nomine comprehenduntur L. 1. D. de fid. instr.

ⁿ⁾ L. 35. D. de re iud. iunct. L. 3. C. de iur. reipubl.

^{o)} L. 13. C. de reb. cred. et iureiur. L. 31. D. de iureiur.

^{p)} L. 19. C. de transact.

^{q)} L. 1. C. quand. prouoc. non est nec,

Denique s) ex qualitate cause, e. gr. si sententia sit in causa matrimoniali, aut criminali lata. Sententia contra matrimonium lata in rem iudicatam non transit, ideoque ob instrumenta nouiter reperta impugnari potest. Eadem de sententia criminali dicenda sunt, quoad in ea agitur de innocentia probanda. Vtrum vero sententia criminalis pro reo lata postquam in rem iudicatam transiit, impugnari possit, inter D^{res} contenditur. Negat BERLICH in Concl. pract. P. I. Dec. 40. n. 2. Affirmat LEYSER in Med. ad ff. sp. 470. Med. 4. aliique, quibus posterioribus calculum adiicio. Possunt enim sententiae in negotiis publicis latae ob nouiter reperta instrumenta rescindī r). At quaenam cause ad publica negotia magis referri possunt, quam criminales? Interest ne reipublicae, delicta puniri et delinquentes poena affici. Rationi idoneae itaque innititur sententia, quod criminis reus licet iamiam absolutus ob evidentiora postea inuenta argumenta ab inquisitione vel accusatione immunis haud sit t). Tempus, huic restitutioni legibus praefinitum, de iure communi est quadriennium, quod tamen multis in terris ac Germaniae prouinciis, mox in breuius mox in longius mutatum est tempus. Minoribus, qui ad hoc beneficium prouocant, currit hoc quadriennium a tempore adeptae maioris aetatis t); maioribus vero a tempore, quo sententia in rem iudicatam transiit. Singularem ac vix cum prudentia legislatoria concordantem camera imperialis seruat sententiam, secundum quam hoc quadriennium a tempore demum

r) L. 35. D. de re iud.

s) Probantur haec arg. L. 18. §. 1. D. de poen.

t) Per L. fin. C. de temp. app.

nouorum repertorum instrumentorum currit u). Ad fundam
dam in camera imperii restitutionem requiruntur, instrumenta
vere nouiter reperta, quae restituendus antea non habuit, nec ad-
hibita diligentia habere potuit, et quae restitutionis petitionem
vnice firmant, laesionemque immediate probant.

§. XXXIII.

Alterum, iuris canonici inuentum, contra res iudicatas reme-
dium vocatur *denunciatio euangelica*, in Protestantium tamen foro
aeque ac Catholicorum exul, quod in eo consitit, quod pars,
quae se laesam credit, causam ad ecclesiasticum iudicem defert,
pro mutanda sententia iudicis secularis, quo minus pars victrix
peccatum committat, si ea executioni dari cupiat, quae in senten-
tia parti victae iniuncta sunt. Exorbitantis huius remedii natu-
ram exponit, idque practico destitui docet I. H. BOEHMER in I.
E. P. L. 11. T. 2. §. 6. etc. quamuis contrariae sit sententiae Godofr.
de lena de denunciatione euangelica, Hall. 1713. vsumque pra-
cticum defendat.


ⁿ⁾ TAFINGER instit. iur. can. §. 1020. etc.

ULB Halle
004 588 452

3



nur 1 Stück f



DE
VI REI IVDICATAE.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

QVAM

AVSPICIIS REGIIS

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

P V B L I C O E X A M I N I

S V B M I T T I T

IOANNES FRIDERICVS EICHRODT

B A D E N S I S .

D. MAI. MDCCCLXXVII.

GOETTINGAE,

Litteris JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.